



1. Bock / Friderici Samuelis / Diss. De Notione
Immensitatis Dei amplificanda Com-
templatione magnitudinis. Mundi.
Regionum 1766. Autor J. C. Rerovian.
2. Bode / Christophorus Augustus / Protevan-
gelium Genesios Cap: 111 Vers: XV. Helm-
stadt 1763.
3. Boekmer / D. philip Adolph: / programma, de
Christo filio Domini, Halle 1765.
4. ——— programma, addita est illustratio
addita est: Illustratio loci 1 Corinthi XV, vers, 51,
Halle 1766.
5. ——— programma in Commentationem ad
Illustrationem Actuum Apostolorum, 1766.
6. Büchner / D. Andreæ Elie: / programma in
diem natalem Christi, Halle 1768.
7. Carrach / Joh: Tob: / programma paraclati
Appellatione Spiritui Sancto tributa,
Halle 1764.

DISSERTATIO INAUGVRALIS HERMENEVTICA

IN

Rom. V, 12. 13. 14.

QVAM

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI AVCTORITATE

PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO, DOCTISSIMO

IOHANNE FRIDERICO STIEBRITZ

PHILOSOPHIAE, OECONOMIAE, POLITICAE ET CAMERALIVM

PROF. PVBL. ORDINARIO, ALVMNOR. REG. EPHORO

ET

ACADEMIAE SCIENTIARVM MOGVNTINAE SODALI

FAVTORE AC PRAECEPTORE

OMNI VENERATIONE COLENDO

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSEQVENDOS

AD DIEM XII. OCTOBRIS MDCCLXVII.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOHANNES PETRVS ANDREAS MILLERVS

HETTSTADIO-MANNSFELDIGVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

LITTERIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII

24

DISSELTATTO INAVGVRAALIS HERMENEVTICA

IN

Rom. V. 12. 14.

AMPLISSIMI ORDINIS PRAESIDIUM A CITO STATO

PRÆSIDI

VRO EXCELLENTISSIMO, ATQVE DOCTISSIMO

IOHANNI FRIDERICO STIEBRITZ

PHILOSOPHAE ORGANOAE, TORNSIAE ET CAMERACIVM

PROE PVBE ORDINARIO, ALVMOR RITE ENHORO

ET

ACADEMIAE SCIENTIARVM MONTANIÆ SOCIAM

FAVOREM AC PROTECTORIS

OMNI GENERATIONIS COLLEDO

AD

SVMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSIDERANDOS

AD DIEM XII OCTOBRIIS ANDECIAM

PRÆSIDI PRÆSIDI

ACTOR


IOHANNES PETRVS ANDREAS MILLERVS

HEFTTATTO-MANVS CRIPCVS

HABAE MAGDEBVRGICAE

HEFTTATTO IOHANNIS CHRISTIANI WINDHELI






PRAEFATIO.




Non eram nescius, cum hac de re, quam titulus indicat, scribendam dissertationem susciperem, fore, qui primam libelli paginam vix conspicati, consilium eiusmodi siue mirarentur, siue reprehenderent. *Quid enim? quae ab antiquis temporibus ad nostram usque memoriam in Theologorum scholis dictata et peruiulgata sunt, de his scribendum sibi censuit, qui, ut Philosophorum honores sibi acquireret, eruditorum examini scripturam traditurus erat? Itane fuit inops consilii, ut, nisi haec afferret, quae afferret, non haberet? Hi, si uoluerint considerare, quam sentiant diuersa Philosophi nostrorum temporum, quamque non deceat iuuenem*



uenem, contra SVMMOS VIROS insurgere, a quibus maximo paulo ante beneficio adfectus est, remittent fortasse de his uituperationibus aliquid, nihilo tamen secius ad alia quaeuis hoc tempore diligentiam nostram ablegatam uolent. Non immerito fortasse, si possemus omnes omnia. Accedit, quod fere necessario requiritur hodie, ut, si quis nolit uideri operam suam minus bene collocasse, re ipsa demonstret, non certos quosdam a se delectos praeceptores, quos in omnibus, nihil singula curans, sequeretur, sed ueritatem sibi, ut debet, *Platone* atque *Socrate* cariorum esse. Haec ut esset mei apud omnes existimatio, selegi disputationi *inaugurali* materiam eiusmodi, ad quam illustrandam opibus quibusdam *philologicis* me instructum sentirem, ita quidem, ut, aliqua ex parte, ex omnibus neminem uideri possim sequutus. Dogmatice hac in causa nolui uersari, ne Theologi magis quam Philologi personam egisse videar, idque ipsum, sicubi uellem, permitturum se negauit EXCELLENTISSIMVS PRAESES disputationis, cui, ut omnem obedientiam, sic maximas gratias ob innumera EIVS in me beneficia debeo. *Notularum* eam potissimum ob causam ad hanc magnitudinem excreuit numerus, quod nolui, si textui infererentur, perturbare lectorum cogitationem. Quod reliquum est, optamus et precamur, ut hic labor noster afferat non nihil faniori doctrinae incrementi.

Rom.



IN

Rom. V, 12. 13. 14.

DISSERTATIO HERMENEVTICA.



§. I.

Totius epistolae ad Romanos argumentum ut ponamus ante oculos, cum non sit opus ad hanc rem ¹⁾: factishabebimus, primam eius partem hic praemittere. Requiritur hoc eam ob causam, quoniam arctissima est huius loci, quem suscepimus explicandum, cum antecedentibus coniunctio, quae quidem, quamquam ipsa fortasse in
uarios

¹⁾ Fecit hoc nuper accuratissime S. Vener. CRVSIVS in quatuor programmatibus de uocabulo *lex, vnos*, sigillatimque de eius usu in epistola Pauli ad Romanos, multasque partes epistolae paraphrasi et adnotationibus egregiis illustravit.

A

uarios errores induxit multos, non debet negligi. Res ita habet. Expositurus Paulus de iustitia Dei, hominumque in foro diuino, post longiusculam praefationem I. 1-17. figillatim primo, et gentes et Iudaeos peccato obnoxios esse docet, inde ex omnibus inueniri neminem, qui iustus sit I. 18- III. 20. quamobrem non ex lege sed e fide in Christum iustitiam esse, id quod Abrahami et Dauidis exemplo et probat et illustrat III. 21. IV. 25. Tum uero magnitudinem *gratiae* inde potissimum celebrat, quoniam in omnibus, etiam in calamitatibus, haberemus, cur gloriaremur, et quidem per Christum, per quem etiam Deo simus reconciliati. Habes ea, de quibus in antecedentibus Paulus locutus est. Hinc si facile esse transitum ad sequentia dicam, uereor, ne eorum incurram reprehensionem, qui, uarias multorum de nexu c. 12. cum antecedentibus sententias considerantes, quae sumenda sit, nesciunt.

§. II.

Sequentia autem cum ea ipsa sint, de quibus explanationem qualemcumque asserre conati sumus: non erit praeter rem, exponere ab initio statim, de omni loco V. 12-21 quid nobis videatur, ut ne, unum alterumue comma tantummodo ob oculos nobis fuisse, quis existimet. Docet in eo Paulus, singularem quamdam intercedere convenientiam Christum inter et Adamum, quoniam, ut ab illo peccatum et mors ad omnes uenerit, sic ab hoc iustitia et uita aeterna parata sit omnibus. Summa rei est in sectione 18. quae quidem partim repetit, partim absoluit et perficit ea, quae in priori parte c. 12. dicta sunt. *Ἄπνεξ* enim illud, cum sit *relatiua* uox, non habet in sequentibus particulam respondentem, id quod non mirabitur, qui intellexerit, sermonem in eo ipso *primum* morari, quod coeptum erat dici, ut accuratius et distinctius omnia exponerentur 12-14. *deinde* in eo occupari, ut praedicretur his ansa, qui nimii foras in comparatione hac futuri erant.

erant. Plane dicerem cum optimis interpretibus, *parentes* esse a c. 13. ad 18. nisi ex hac ipsa oratione transferret Paulus aliqua, et inde concluderet: *de c. 18.* Simile quoddam parentheses esse videtur. Iam c. 18. plenissime enunciat utramque comparationis partem, 19. autem declarat, cur uenerit, ut ex uno in hos multos condemnatio, sic iustificatio. Tum denique, cum satis docuisset, ab uno quidem esse commissum, ut omnibus moriendum sit, sed tamen non unius tantum, sed multorum delictorum a Deo per alterum illum unum indulgeri condonationem: Mosaïca lege, adicit, ut peccatum sit auctum, sic multo longeque magis gratiam abundasse.

§. III.

Haec ut sint magis perspicua, omnisque tractatio, ea praefertim, quae noua uideri possunt, clariore in luce ponantur, paraphrasi quadam, ut loquuntur, eundem omnem locum comprehendimus :

12) *Quemadmodum igitur per unum hominem, qui peccauerat, peccatum i. e. moralis illa corruptio, in mundum introiit, siue humanum genus infecit, et per peccatum mors, eaque ratione, per corruptionem nimirum illam moralem, ab uno, qui peccauerat, profecta, in omnes homines mors pertransiit, praeter quod, ad quod, omnes peccarunt, non ita profecto, ut singulorum mors peccatis singulorum tribuatur, quae non nisi per unius delictum fors omnium facta est.*

13) 14) *Ad legem enim usque peccatum erat in mundo i. e. non desit committi peccatum ab Adami illa aetate ad legem usque. (Post legem enim, nemo est, qui dubitet, semper peccatum fuisse ab hominibus.) Peccatum autem non imputatur, ita uidelicet, ut subeunda mors sit, de qua loquimur, si non sit lex. Sed tamen regnauit mors ab Adamo, usque ad Moysen, etiam in eos, qui, quamquam peccauerant, non tamen ad similitudinem transgressionis Adami pec-*

cauerant, unde sequitur, ut mors in eos regnauerit ex unius Adami delicto, quod quidem est repraesentatio futuri.

15) At uero non potest omnino dici, *eandem esse lapsus rationem, quae est doni gratuiti*, ita, ut nonnisi reddiderit gratia, quae lapsu illo amissa sunt. *Si enim unius lapsu mortui multi illi sunt* (et hoc omnino ponimus, ideoque Christum inter et Adamum similitudinem aliquam esse statuimus): *multo magis gratia Dei et donum gratiae, quae est unius hominis Jesu Christi, in omnes abundauit*, uimque multo maiorem habuit.

16) *Neque etiam unius hominis transgressione metiendum donum illud est, quasi per unum, qui peccauerat, mala omnia parta sint. Etenim iudicium quidem ab uno inuexit condemnationem, mortis uidelicet, donum autem gratuitum, quum multa admissa delicta essent* (dixerat enim c. 12. *ἰδὲ ὅτι πάντες ἥμαρτον*) quae profecto non potest fieri, quin habeant illa etiam suam condemnationem, quamquam nulla lege definitam, *ad efficiendam iustificationem ualet.*

17) *Si enim unius lapsu mors imperium obtinuit per unum, multo magis illi, qui abundantiam gratiae, donique iustitiae acceperunt, quantumuis ipsi etiam omnes peccassent c. 16. in uita non erunt tantummodo, sed 15. 2) regnabunt etiam per unum illum Jesum Christum.*

18) *Quocirca, sicut ab una parte haec sunt: per unum lapsum, in omnes homines, in condemnationem et eam mortis quidem, sic ab altera etiam: per unum δικαιωσις, siue rem eiusmodi, quae iustitiam affert, in omnes homines, in iustificationem uitae.*

19)

2) recte omnino, meo quidem iudicio, *Pengelius* comma 17. refert non ad c. 16. solum, sed etiam ad 15.

19) *Quemadmodum enim, cum unus ille homo obedientiam neglexisset, peccaminosi sunt facti multi, ut condemnatio in eos cadere posset, sic etiam per obedientiam unius iusti integrique reddentur multi, ut uitae iustificatio cadere in eos possit.*

20) *Lex autem, quamquam alias magis ob causas lata uideri potest, etiam hanc in rem, cum integrum sit Deo, proponere aliis etiam hominibus, ut Adamo, tentationem, hanc quoque in rem sese insinuauit, ut augetur peccatum, tam ut uberior sese proderet propagata illa ab Adamo corruptio, quae ante, paucioribus transgressionibus, innotuerat, quam ut appareret quales sint omnes in iis etiam rebus, quae in soluta et libera eligendi optione erant, nulla adigente naturae depravatione.*

21) *Vbi autem multiplicatum peccatum est, superabundauit gratia, ut, quemadmodum peccatum imperium obtinuit, latissime patuit eius uis, in morte, quam uiric lex Moſis minabatur, sic gratia etiam obtineat regnum atque abundantem se exserat per iustificationem ad aeternam uitam, per Iesum Christum dominum nostrum.*

Exposita iam mente nostra de omni hoc loco, in quo non sine ratione fuimus longiores, deinceps ad ea ipsa uerba redeundum est, quae proposita explicationi nostrae sunt, ipsiusque translationis faciendum exordium.

§. IV.

Δια τὸτο ὡσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον ἐισηλθε &c.

Nostrium hic erit ante omnia, ostendere, qualis sit nexus horum uerborum cum antecedentibus, quem quidem difficilius esse reperire fateor, si, cum de nexu quaeritur, etiam hoc quaeridicas, cur Christi hanc cum Adamo collationem atulerit hic Paulus

lus. 1) Hac enim de re uariae extant interpretum sententiae. Omne autem cap. V. si quis considerare accuratius uoluerit, uidebit, esse propositum Paulo, ut magnitudinem diuinae gratiae celebret. Quod cur faciat non debet quaeri amplius, quamquam
in

2) Non profecto tam de connexionione, quam de fine, ut loquuntur, huius sectionis definiendo, sollicitus est *Sebastianus Schmidius*, si, quae in *Buddei hamartigenia* §. IV. allata sunt, spectes. Et ipse quidem hanc adducit sententiam, in omni hoc capite V. exponere Paulum de continuatione iustificationis, nostram autem locum in eo potissimum uersari, ut obiectionibus eorum respondeatur, qui dicerent, non nisi ab uno Adami peccato nos iustificari. Et potest concedi, si quis ita uoluerit loqui, in priori Cap. V. parte agi de iustificatione, neque nude tamen, sed ita, ut Paulus diuinae hanc gratiae magnitudinem, quae spem maximam in Christo proposuit, ad exhibendos etiam in calamitatibus animos transferat. Sequentium autem a c. 12. amplior profecto finis est, quam, ut de hoc, siue uno, siue potissimum agi, dicere possimus, ne quis, unius tantummodo peccati remissionem factam per Christum, existimet. Docet enim Paulus, analogiam quandam, cuius supra nondum erat facta mentio, inter Adamum esse et Christum, quae tamen non sit concipienda, neque ita, quasi non plu a Christus dederit, quam Adamus amiserit, neque hunc in modum, ac si unius tantummodo Adamitici peccati, neque aliorum etiam, remissio per Christum allata sit. Alii nouo, eoque a comparatione Adami cum Christo ducto, argumento Paulum hic confirmare iustificationem per fidem arbitrantur. At uero *δix τστο* u. 12. non est probantis antecedentia, sed commode deducens ex his, quae aliam ob causam dicenda illi uidebantur. Quid? quod in pluribus hic locus occupatur, quam in eo uno, ut de sublati malis iis, quorum Adamus auctor fuerat, exponatur. Non licet nobis esse longioribus in refellenda siue *Calouii* siue *Cocceii* hac sententia, quam ut defenderet, nimis coacte in nexu, quam *δix τστο* denotat, explicando uersatur, qui prolixam illam de *hamartigenia* dissertationem scripsit.

in promptu fit responsio, ut spem Christianorum erigat animosque eorum ad calamitates etiam laetos reddat et confidentes. uid. c. 3. 11. Iam argumentum sectionis a c. 12. ad fin. hoc est, ut de similitudine, quae Christum inter et Adamum intercedit, quae tamen dissimilitudine non mediocri (quoniam multo maior uis gratiae est, quam peccati) temperata est, edoceamur. Celebrat ergo hic locus inde supremi numinis benignitatem, quod, cum factum sit, ut, uno Adamo legem migrante, mala omnia mortis per omnes homines effunderentur, per alterum illum *unum*, Christum, expiatione non unius, sed multorum delictorum facta, non reddita solum sint, quae amissa erant, sed plurima etiam et maxima superaddita cf. 15. 21.

§. V.

Nexum ipsum *διὰ τerto* designat, quod plane 4) potest verti: *quamobrem*. Perfecto enim et concluso, non nisi fide in Christum, ideoque per *unum* Deo nos reconciliari: pronum erat, traducere lectorum cogitationem ad commune illud omnium malum, quod ab uno Adamo propagatum ad *omnes* est. Nec poterant hoc ignorare Christiani, qui Romae uersabantur, quippe impleri omni scientia XV. 15. idque ipsum eo minus, quoniam inter prima initia in methodo Apostolorum fuisse uidetur, ut, contra Poetarum et Theologorum fabulas, ab uno homine humanum omne genus pro-

4) *Homburgius* in parergis, ut apud *Wolffium* est, cum in hac sectione existimaret respici a Paulo superiora de communi gentibus cum Iudaeis peccato, uerri uult: *propterea de his rebus ita tenendum est. Qui si hoc uellet, διὰ τerto referendum esse tam ad superiora illa de peccato, cui et gentes et Iudaeos subiectos esse Apostolus dixerat, quam ad postrema de gratia per Christum omnibus parta: posset aequius ferri eiusmodi sententia, quamquam Latinorum quamobrem non respicere uidetur eandem explicationem.*

prognatum, doceret A&S. XVII, 26. Mors autem unde originem duceret, etiam hanc ob causam erat necesse omnes instrui, ab initio statim, quod inualuerat usquequaque ea erroris opinio, ut dicerent, §) fuisse hanc a prima rerum origine ipsius naturae legem, ut, qui natus sit umquam, moreretur etiam, esse hanc profusum necessariam communem omnium sortem. Quod quam aduersetur rationibus Christianis, satis inde perspicuum est, quoniam uenit Christus ut aboleret mortem, quae peccati fuerat poena i Cor. XV. 21. 22. Quae cum ita sint: poterat profecto Paulus hac de re, tamquam notissima, loqui, nec erat uerendum, ne forte, qui legerent hanc sectionem epistolae, non intelligerent, si uel maxime nulla plane huius rei esset facta in antecedentibus mentio.

§. VI.

§) Quam temere et sine ratione docuerint hoc olim philosophi, quantum detrimenti capiant inde rationes Christianae, quam egregie denique concinant inter se his de rebus ratio bene sana libri quae diuini acute et grauitate suo more exposuit S. Vener. CRYSIVS, in duobus programmatibus a. 1756. quae Germanice etiam uersa, et passim annotationibus ex ipsius auctoris scriptis aucta, a doctissimo pariter atque in summis honoribus constituto Viro A. F. R. Lipsiae apud Langenh. prodire. Titulus est: von den Ueberbleibseln des Heidenthums in den Meinungen von dem Tode Morrem etiam temporalem, ut Theologi loquuntur, esse poenam peccati, contra ANONYMUM, qui Gallice scripserat, contendit Celeberr. MEIERS in: Verteidigung seiner Gedanken vom Zustande der Seele nach dem Tode a. 1754 §. 13. 15. adducit etiam Paulum Rom. VI. 23. Veterum Philosophorum ne coniectura quidem extitisse uideretur, an forte mors peccati sit poena. E Stoicis quidem Chryssippi VITRINGA Obseru. Tom. I. II. VII. e Gellii lib. VI. c. I. affert hanc quaestionem: *εἰ τῶν ἀνθρώπων ἵσσοι κατὰ φύσιν γίνονται.* Sed hoc ipsum ita diiudicat Chryssippus, ut, quamquam existimet, non fuisse hoc principale naturae consilium, ut faceret homines morbis obnoxios, *κατὰ παρὰ φύσιν* tamen i. e. per sequelas quasdam necessarias, ut alia incommoda, sic morbos etiam extitisse.

§. VI.

Iam sequitur ipsa comparatio, quam *ὁμοιότης* orditur. Quod cum *relatiuam* habeat vim: quaeritur de respondente illi altera *particula*. Equidem neque ita uerterim: *quemadmodum* per unum hominem peccatum in mundum ingressum est, sic etiam per peccatum mors. Tollitur enim, quantumuis *ἕως* in *καὶ* latere posse concedam, quod saepissime fit, omnis connexio cum antecedentibus, quam *διὰ τὸ* prorsus requirit. Neque etiam *καὶ ἕως* ad *ὁμοιότης* referri uelim, ut idem sit, quod *ἕως καὶ*. Dicit ὅ hoc pro auctoritate sua Celeb. WOLFIVS in *curis* ad h. l. in quo miratus sum, ne unum quidem afferri a uiro locum, ubi, si *καὶ ἕως* pro *ἕως καὶ* positum existimes, commoda sit et facilis sententia. Hoc quidem loco non potest ferri eiusmodi uerborum inter se applicatio, quoniam per id ipsum uis infertur connexioni, quam *διὰ τὸ* omnisque sequentium uerborum ratio postulat. Et comparatio in omni hoc loco ea est, ut appareat, quae sit inter Christum et Adamum similitudo, si opponantur inter se. Iam quod ingens Christus in humanum genus contulerit beneficium, in praec-

- ḡ) Est in eadem sententia *Clericus*, afferitque Luc. XVII. 24. 26. 1 Theff. IV. 14. ubi *ἕως καὶ* hac ratione positum legas, quod dubitationem non habebat. Adducit *Millius* Syr. quae ita et habeat. et *Fabrum Stapulens.* qui ad fidem aliquorum codicum Graecorum *καὶ* expungendum censet, ut anantapodoton euitetur. Sed repugnat, inquit *Millius*, exemplarium, quae quidem uidimus, omnium fides. Vidit eiusmodi codicem. *Westen.* Basil. B. X. 20. sed non ita describit, ut ulla sit eius auctoritas. Hoc ergo perperam *Faber*, illud recte, quod non censuit, dum *καὶ* legitur, *καὶ ἕως*; referendum ad *ὁμοιότης*. Quod *Homborgius* dicit, traiectiones particularum ita frequenter usurpari a S. scriptoribus, ut si hic ordinem litterae semper sequi uelimus &c. generalius dicit, quam ut hic momentum aliquod habere possit.

B

cedentibus abunde Paulus exposuit. Quamobrem cum ab Adamo comparationem inchoasset: poterat relinquere tantisper inchoatam, alteramque partem lectorum cogitationi permitttere, ut hoc idem, quod de Adamo dixerat, accuratius 7) statim explicaret. Quod cum esset factum, subiungitur: *ὅς ἐστὶ τυπὸς τῶν μελλόντων*, quae verba 8) idem illud habent inclusum, quod in *apodosi* ad *ὡσπερ* dicendum erat. Iustis deinde limitibus circumscripta hac ipsa similitudine, ita, ut multo maiorem vim et amplitudinem *gratiae* tribuat: redit ad id, unde diuerterat, et tamquam repetit, quod ab initio dixerat, pleniusque enunciat, nec minus accurate apodosin addit c. 18. Haec omnia si spectes, non erit, cur precario sumtum hoc anantapodoton siue hyperbaton, quis dicat. Eiusdemmodi sunt loca 2 Cor. III. 13. Matth. XXV. 14. (Rom. IX. 22.) 1 Ioh. II. 17. 1 Tim. I. 3.

§. VII.

- 7) „ Neque uero absurdum debemus iudicare, si in Apostoli scriptis
 „ quaedam inueniantur abruptae sententiae. Est enim Apostolus
 „ in suis sermonibus, disputatoriis praesertim, qualis hic est, ubi-
 „ que acer et uehemens. Populari insuper utitur orationis gene-
 „ re, quod ab huiusmodi figuris et loquendi formis non abhorret.
 „ Interdum etiam tempestiue praeciditur oratio, dum aduersariis
 „ occurrere festinamus. *Hyperius*.
- 8) His uerbis apodosin subindicari etiam *Philippus a Limborch* censet in Comment. in Epist. ad Rom. Eiusdem sententiae iam fecit mentionem *Origenes*, ut apud *Erasmum* uidimus. Quod *Gottfr. Olearius*, cuius interpretationem *Wolffius* affert, existimauit, *διὰ τὸ ὩΣΠΕΡ* uertens: hac de causa *ferre*, ita, ut post *ελαβομεν* u. II. comma, post *ὡσπερ* autem colon ponatur, uideri potest subodoratus *Erasmus*, qui haec scribit: „ sed non respondet, quod sequitur, ad *ὡσπερ*, nisi *ὡς* legatur pro *quia*, aut *ὡσπερ* pro *ὡς*, aut „ nisi accipias *ὡσπερ* pro *tamquam*. „ Sed esset omnino haec mira uerborum perplexitas, eaque uel eam ob causam reiicienda, quoniam nec est Apostoli, dubie de tanta re loqui, neque hoc in loco Pauli, qui post etiam certo et distincte, de his quid sit sentiendum, pro-

§. VII.

δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσηλθε. Hic fuerunt, qui τὸν κόσμον intelligerent terram nostram, ideoque, si quis τὴν ἁμαρτίαν etiam nonnisi peccandi actum intelligat, his uerbis suberit haec uis: per unum hominem in terris coeptum est peccari. Quod quam rhetorice et nihil sonet, iudicare quilibet facile poterit. Quid enim refert, utrum 9) unus initium peccandi

pronunciat. Non adeo abluat ab illa sententia *Sadoletus* in Commentar. in Epistol. ad Roman. dialogice scriptis. Neque tamen is ita, ut ὡσπερ uertat *fere*, sed, ut praemissam esse apodosin, non in sequentibus quaerendam, dicat. At uero, si uel maxime concedamus, διὰ τὸτο non nouae semper sectionis initium esse: ad hanc rem non διὰ τὸτο sed εἰς requirebatur, ita fere, ut sensus esset u. 11. 12 per quem Iesum Christum etiam reconciliationem sumus adepti, ita, ut per unum hominem &c. nihiloque minus durior esset uerborum constructio. Aliae fortasse nascuntur interpretationes huius loci, postquam I. I. *Wetstenius* in Codice *Couelli* 4. recenti manu scripto et *Genuesi* 1. sine 33. et 35. simillimis inter se, non nudum ὡσπερ sed ὡσπερ καὶ scriptum uidit.

- 9) Ita plane nihilominus et his ipsis uerbis *Limborchius*, ne peccatum originis hic commemorari, concedendum sit. Solemne enim esse scriptoribus S. *accidentia*, qualia sint peccatum, iustitia, sapientia, mors, ita repraesentare ac proponere, quasi sint personae, quorum ortum, incrementum, regnum, fructus describant. Id de peccato solo uult ostendere ex *Iacob* I. 14. 15. ubi natiuitas *Rom.* VI. 12. ubi regnum, *indid.* c. 23. ubi stipendium peccato tribuitur. Manifestum ergo esse, per peccatum hic intelligi ipsum personale Adami peccatum. Deinde, cum mortem hic etiam non nisi separationem animae a corpore esse declarasset, eamque aeternum duraturam (quibus uerbis quam subesse uelit sententiam, non explicat uberius): liquere etiam inde, dicit, per peccatum, quod per unum hominem intrauit, non posse intelligi habituale seu originale peccatum. Intelligi enim illud peccatum, per quod mors in mundum ingressa sit. Atqui mortem non esse ingressam in

candi fecerit, cum omnes peccasse constet, an plures primi peccatores una fuerint. Nobis quidem certe, ut diuersum sentiremus, primus propemodum ad spectus persuadere poterat. Iamque, missis quaestionibus dogmaticis, cur Adami nec item Euae hoc loco fiat mentio, de hac re uidebimus. Ἡ ἀμαρτία τῆς ἀμαρτίας aliud sine dubio est, atque illud, quod c. 13. sine articulo bis dicitur. Sed hoc si quis minus admiserit, c. 19. docebit optime, quid

mundum per peccatum originis, sed per primum Adami peccatum. Nam per illud peccatum, Adamum alias non moriturum, necessitati moriendi subiectum esse. Haec *Limborchius*. At uero, si τὴν ἀμαρτίαν hoc loco nonnisi Adami illud peccatum intelligas, itemque τὸν θάνατον nonnisi Adami mortem, necesse est profecto, si accuratius in negotio uersari uelis, quam ille uersatus est, multo aliam sententiam subici sequentibus uerbis, atque iste subiicit et omnes subiiciunt, ita, ut omnis illa comparatio Christi cum Adamo euanescat. Quemadmodum unus homo fecit in mundo initium peccandi et per peccatum moriendi necessitatem sibi peperit, ut uult *Limborch.* siue moriendi etiam fecit initium, atque hac ratione ad omnes homines mors pertransiit &c. Quenam haec ratio est, qua mors ad omnes pertransiit? Eadem profecto, qua Adamus omnium primus in mundo mortem sibi contraxit. Iam ille per suum peccatum sibi primus mortem consciiuit. Quare, si sit eadem ratio idemque modus, quo mors ad omnes peruenit: peruenisse ad omnes Paulus dicit mortem eam ob causam, quoniam omnes (non in Adamo neque per Adamum, quod precario sumeretur, sed ut ipse Adam primus peccauit et hanc ob causam est mortuus, sic reliqui omnes mortui sunt et moriuntur, quoniam postmodum) peccarunt. Et hoc quidem iam illa uerba dicerent: οὐκ ἔτος — ἀπὸ θανάτου. Quid si etiam ἐφ' ὅ, quod continuo sequitur, uertas: eo quod, propterea quod, quatenus, ut facit *Limborchius*, nonne tollitur omnis illa Christum inter et Adamum, si utrum ue ex aduersa parte ponas, similitudo, quam omnis haec sectio proclamar. Nihil attinebit, nominare etiam alios interpretes, contra quos haec ualent.

quid sit hoc loco ἡ ἀμαρτία. Haec enim uerba: δι' ἑνός ἀνθρώπου ἀμαρτωλοὶ καταστράφησαν οἱ πολλοί, cum causam designent, cur mortis imposita poena omnibus sit, quippe iuncta per γὰρ cum c. 18. idem profecto sibi uolunt, quod nostra haec, quae in praesenti explicanda sunt. Erit ergo ἡ ἀμαρτία originale peccatum, unde sit, ut ἀμαρτωλός dici quis possit. Prohibet enim V. 8. 6. ne ἀμαρτωλοὶ καταστράφησαν de imputatione peccati illius, quod originans Theologi dicunt, accipiat, ut hanc ob causam dicantur multi constituti peccatores.

§. VIII.

Indidem poterit etiam doceri, quid sit hoc loco κόσμος. Haec enim si spectes, quid erit κόσμος, nisi iidem hi πολλοί, qui peccatores constituti sunt, ita, ut sedis habeatur respectus, ubi degunt. Quid uero? cum deinde sequatur: καὶ ἕως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διήλθεν, irane loquitur ταυτολογῶς Paulus? Dicerem, clarius in posterioribus uerbis loqui Paulum, si esset opus hac excusatione. Si dicitur in Euangeliis Christus in Galilaeam uenisse, non iam hoc dicitur, permeasse omnem Galilaeam, sed hoc in sequentibus sigillatim narratur ab Euangelistis. Ita etiam si dicitur in genus humanum mors ingressa esse, non iam hoc dicitur, omne humanum genus pertransisse. Neque enim scripsit Paulus: εἰς ὅλον τὸν κόσμον ut I Joh. II. 2. Partem humani generis efficiebant illi, qui primi ex Adamo nati sunt et prima mundi aetate uixerunt. Quod uenit in partem totius, in totum illud uenit. Quod si quis dicit, non iam hoc dicit, in omnes totius partes uenisse. Hic est loquendi usus, quo omnes, qui ubique sunt, utuntur.

§. IX.

Venit peccatum in mundum quid sit, uisimus. Quis sit unus ille homo, per quem uenisse dicitur, non potest esse dubium, cum textus ipse in sequentibus *Adami* mentionem faciat. Δι' ἑνός

ἀνθρώπου complet Seb. Schmidius per ἀμαρτανovros, ut est in c.16. ἀμαρτησαντος, quod recte fieri, nemo non concedet, qui in superioribus nostrae interpretationi assensum commodauerit. Inest ergo his uerbis haec sententia: *migravit legem Adamus, eaque re cum suam ipsius naturam deprauasset, caussa extitit deprauationis, quae humanum genus occupauit, physica.*

§. X.

— καὶ δια τῆς ἀμαρτίας ὁ θάνατος. Non esse respondentia haec uerba prioribus, ita, ut καὶ, pro ἔγω καὶ, ad ὡσπερ referatur, supra diximus. Vertenda itaque simpliciter: *et per peccatum mors.* Qualis sit haec mors, certatum saepius acerrimis disputationibus est. Equidem plane dicam, quod sentio, nec uerebor, ne Cocceianum uocent, si quis omnem uim Grammaticam i. e. eos omnes significatus, qui hic, ibi, singuli occurrunt, passim, uno eodemque loco subesse huic uoci, existimet. Erat Deus Adamo minatus mortem, si legem de uetita arbore migrasset. Iam, cum transgressus esset Adamus legem, uide, quae sequuta sint: corruptio moralis, mors corporalis, eique iunctus miserrimus status post amissum corpus, eaque omnia et Adamum et eius posteros subire oportebat mala, ita, ut hi quidem dici possent τέκνα Φυσεὶ ὀφείη. Haec igitur ¹⁰⁾ omnia subiici huic uoci possunt, ut in comminatione illa Dei subiiciebantur. Hoc autem loco, si demas corruptionem moralem, quam ἡ ἀμαρτία designat, reliqua, quae morte corporali et aeterna continentur, potestatem uocis, θάνατος, efficiant. *Per corruptionem ergo moralem, quae genus humanum inuaserat, uenit mors corporis et aeterna.*

§. XI.

¹⁰⁾ uid. Vitringa Obseruat. Sacr. Tom. I. Libr. II. C. VII. §. XIII. qui tamen, ut plena sit mortis notio, etiam hoc requirit p. 357. ut corporis quoque doloribus aeternis tradatur ille, qui totus dicitur mori.

§. XI.

και εως εις παντας ανθρωπους ¹¹⁾ ο θανατος δηλθεν. Και εως
 non posse ad *ωσπερ* referri, supra, nisi magnopere fallimur, ido-
 neis argumentis enictum dedimus. Repetunt potius hae uoculae
 και εως, ut saepius, idem illud, quod in praecedentibus dictum
 est. cf. 1 Theff. IV. 17. Actor. XVII. 33. In praecedentibus autem
 hoc est, mortem ingressam esse ¹²⁾ in humanum genus per depra-
 uationem illam moralem, hanc ipsam autem per unum hominem.
 Haec ergo est uia atque ratio, qua mors *ad omnes homines perue-
 nit*. Vertenda igitur haec uerba: et *hac ratione mors ad omnes
 homines pertransiit i. e. ab uno in alios, et ab his denuo in alios, dum
 omnes pertransisset.*

§. XII.

Quid uero? si hac ratione, si per unum, qui peccasset,
 moralis illa corruptio, per moralem autem corruptionem mors in
 huma-

¹¹⁾ In codicibus quibusdam, apud Patres etiam aliquos, abest ο θανατος, ut docet *Mill.* quibus plures addit *Bengelius* in Appar. neque tamen rem habuit tanti, ut in margine notaret. Vtroque copiosior *Wetsen.* Apud *Chrysoft.* supra Homil. X. in Ep. ad Rom. in uerso ordine legas δηλθεν ο θανατος.

¹²⁾ In his ergo uerbis οi ενος ανθρωπου η αμαρτια εις τον κοσμον εισηλθε, και δια της αμαρτιας ο θανατος, και εως εις παντας ανθρωπους ο θανατος δηλθεν, si nostram interpretationem sequaris, nihil plane est ταυτολογον, de quo *Lymborchius* tantopere queritur. Neque etiam ita uertimus, ut ille obiicit: *per unius hominis peccatum mors omnium intrauit in mundum, atque ita mors in omnes transiit*, quod, nescio, an quisquam fecerit. Quis enim bis uertat τον κοσμον? Sic εισηλθεν et δηλθεν etiam, cum eodem in loco iisdemque uerbis iuncta legantur, nisi rationes idoneas possis afferre, non licet ita diuerse intelligere, ut ille intelligit. Nos utriusque propagationis notionem inesse, dicere possumus, ita, ut εισηλθε immediatam seise ab Adamo in posteros proximos, δηλθε mediatum in omnes homines designet.

humanum genus ingressa est et eadem ratione in omnes homines pertransiit: quid quaeso sibi uolunt sequentia: ἐφ' ὃ πάντες ἡμαρτον? Unus peccauit, et mortem omnibus peccando contraxisse dicitur, iamque etiam omnes peccasse dicuntur. Et hoc ipsum qui dem mirari nemo possit, cum sit notissima fere omnium res. In quaestione hoc est, uolueritne Paulus, dum praecedentibus uerbis adderet, ἐφ' ὃ πάντες ἡμαρτον, rationem addere, cur communis fors omnium mors sit facta? Ita uoluerunt omnino plurimi, iique optimi uiri, doctissimi etiam atque acutissimi; quorum si non admittimus interpretationes, non debet hoc crimini nobis dari, cum sint inter eos, quorum siue memoriam pie recolimus, siue uitam diuturnissimam esse cupimus, quoniam egregie de omni doctrina, etiam de interpretatione librorum diuinorum, meriti sunt, et merentur. De re ipsa uidebimus. ἐφ' ὃ πάντες ἡμαρτον plerique iam nunc, quoad sciam, uerunt, siue, eo quod, siue, quatenus, siue, siquidem, quoniam, propterea quod omnes peccarunt. Ἠμαρτον, ut ipse Paulus sibi conueniat, alii de deprauatione originali accipiunt, ut, non actiones malae hoc loco, sed habitus malignus omnibus hic tribuatur: alii explicant, cum Adamus peccaret, omnes peccasse, quoniam Adami transgressio sit omnium transgressio.

§. XIII.

Ἠμαρτον qui malunt hic habitum malignum, siue originale peccatum, designare, quam actualia peccata, neque consuetudinem uocis fati curare, et quae sequuntur, negligere uidentur. Hinc enim si per singulas enunciationes eas ad c. 14. uideas facile, eodem sensu dici μὴ ἈΜΑΡΤΗΣΑΝΤΑΣ ἐπὶ τῷ ὁμοιωματι τῆς παραβάσεως Ἀδὰμ. Nam, qui non peccarunt ἐπὶ τῷ ὁμοιωματι τῆς παραβάσεως Ἀδὰμ, quod quale sit, post uidebimus, peccarunt tamen ἐν παραβάσει. Alias non erat opus tam multis uerbis. Satis erat dixisse: qui non peccarunt, ut Adam, si tamen ὁμοαρ-
ταρευ

ταειν habet 13) usquam notionem eiusmodi, ut habitum, non actionem, designet. Si quis dicat, saepius pleonastice loqui scriptores diuinos, generalius hoc est, quam ut ullo in loco, nisi aliae rationes adsint, momentum aliquod habere possit, nisi omnem interpretationem peruerterimus. Quid multa? commemorat ipse Paulus πολλά παραπτώματα c. 16. quae uerba huc spectare inde certissimum est, quoniam nectuntur omnia arctissime inter se per ελλ' c. 15. Praeterea ἀμαρτανειν nude etiam c 16. de Adami transgressione dicitur. Atque postrema haec contra eos etiam ualent, qui ἡμαρτον ad Adamiticum illud peccatum referunt, quod nimirum eam habuerit uim, ut, ueluti sua cuique propria transgressio, omnibus impuretur. Hoc ipsam quidem quale sit, dogmaticorum est ostendere. Illud miror, potuisse quemquam *hoc loco* concipere animo eiusmodi interpretationem, quae, cum coniunctissima sint his uerbis sequentia 13. 14. sequentium tamen rationem non habeat. Quid enim lex Mosaiica, cuius proxime fit mentio, ad imputationem Adamiticae transgressiois momenti habet? Quid ergo attinebat

- 13) Argumenti loco affertur plerumque Grammaticorum regula, *uerba actiua*, i. e. ea, quae alias actionem indicant, *quandoque non actionem, sed habitum aut qualitatem denotare*. Quae quidem regula, cauendum est, ne usquequaque adhibeatur, ubi non statim appareret alia explicatio. Quid? si quis uoluerit accuratius ipse considerare exempla, unde regulas eiusmodi faciunt Grammatici, saepius uidebit, e nimia quadam subtilitate usu hoc illis uenire. Sic, quod adducunt מתי מתי Gen. II. 17. si uere Deus comminatus est, requirit omnino conditionem hominis eiusmodi, a qua siue non abhorret mori, siue qua non potest fieri, quin moriatur homo. Sic Sam. XIV. 14. Idem illud, conditionem subiecti dico, in omnibus enunciationibus requiritur, quae subiecti aliquam actionem affirmant. Sed inde profecto non sequitur, ut istae enunciationes conditionem magis subiecti, quam actionem designent.

nebat ad hanc rem temporis afferri a Paulo diuisionem, a lege Moisaica desumptam? Merito igitur displicet haec sententia, quae *ἡμετερον* ad primum illud peccatum refert.

§. XIV.

ἡμετερον itaque non alio ¹⁴⁾ sensu, sed usitato hoc et facili intelligendum censemus, quo dicuntur *omnes ipsi peccasse*. Idem uoluerunt e recentioribus etiam nonnulli, seruata illa significatione τὸ ἐφ' ᾧ, eo quod, quoniam, propterea quod. Qui si dicerent, loqui hoc loco Paulum de iis tantummodo actualibus peccatis, quae necessitate quadam ex insita illa malitia proueniunt, quamquam sine ratione refringerent uim uocis, concederem tamen, non esse adeo repugnantem hanc interpretationem summae ipsius rei, quam hic Paulus

14) Miras hic Grotius, qui haec ad *ἡμετερον* adnotat: *Frequens est metonymia Hebraeis, dicere peccatum pro poena, et peccare pro poenam subire: unde et procedente longius figura per μεταφορὰν ἁμαρτίας peccare dicuntur, qui malum aliquod etiam sine culpa ferunt ut Gen. XXXI. 36. Iob. VI. 24. ut Edit. Amstel. Oper. 1679. sine potius ut March. habet Iob. V. 24. ubi ἁμαρτίας uertitur: δυσπραγίαν, aduersa fortuna uti. Iam uide haec ipsa loca, quae ab eo allegantur. Non opus est multis uerbis. Est enim res aperta. Priorem LXX. uertunt: τί το ἁμαρτία μου, quoniam non uerbum sed substantium in textu legitur, si puncta sequaris, (Iob. VI. 24 est ἁμαρτία quam allegationem ipsi, licet a priori, si sensum spectes, non abludat, non tribuerim) Iob. V. 24 si hunc in modum interpretatur, non habet eausam, nisi quod placet, ubi LXX. per ἁμαρτίας uertit, quamquam minus accurate. Reprehensus a multis nihilominus inuenit, qui idem sentiret, *Turretinum* in Comment. in Ep. ad Rom. qui tamen hanc uim uerbi ἁμαρτία aliis in locis quaerit. Gen. XLIII. 9. XLIV. 32. Iudas Iacobo, nisi Beniaminēm reduxisset, dicit ἁμαρτίας σου. Iudas profecto non nisi hoc dicit, quod uertunt LXX. ἡμετερος ἐσομαι i. e. ero tibi per omnes dies ut is, qui peccauit. Iam si sequitur inde, ut poenam ferat, non statim ἁμαρτία designat poenam ferre. Sic etiam I Reg. I. 21.*

lus tractat. Iam uero cum de omni genere actusuum peccatorum, nulla distinctione allata, *ἡμαρτον* illud intelligant, et haec Pauli uerba ita explicant, quasi ob eam causam mors ad omnes peruenit, quoniam peccarunt ipsi omnes: nulli dubitamus affirmare, omni huic loco mentem eorum repugnare. Prorsus enim constare sibi non potest Paulus, si mortis ira siue duplicantur, siue a se inuicem tolluntur causae. 15) Si per *unum* hominem peccatum in mundum introiit, et per peccatum mors, si *ἕτω*; mors in omnes pertransiit, si per *unius* lapsus multi hi mortui sunt c. 15. si per *unum*, qui peccauerat, si ex uno iudicium in condemnationem c. 16. si *unius* lapsu mors regnauit per unum 17. si per unum lapsum in omnes homines in condemnationem 18. si denique locum debet habere ulla comparationis Christi cum Adamo ratio: non pertransiit profecto mors in omnes homines, *propterea quod* omnes peccarunt, ita, ut ipsi peccasse possint dici. Non aliter tamen nostra memoria *Heumannus*, qui, quos nominat secum sentientes, non distinguit satis, ut appareat, quinam sint ii, qui, cum *ἐφ' ὧ* uertant: *quoniam*, *ἡμαρτον* etiam de peccatis actualibus, et quidem cuique propriis, intelligant. In eadem sententia est *Phil. a Limborch*, et ipse minus accuratus in nominibus eorum afferendis, qui idem sentiunt.

C 2

§. XV.

15) Sic fere congeffit etiam haec omnia Chrysostomus ad c. 14.
 Δια τατο ἄνω και κάτω τε ἕνος ἔχεται και συνεχως τατο εἰς μεσον Φερεται
 λεγων ὡσπερ δι' ἕνος ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τον κοσμον εἰσηλθε και,
 ἐν τῷ τε ἕνος παραπτώματι οἱ πολλοὶ ἀπεθανον και, ἔχως δι' ἕνος
 ἁμαρτησαντος, το δασημα και, το κρημα ἐξ ἕνος εἰς κατακριμα και πα-
 λιν, εἰ γαρ τῷ τε ἕνος παραπτώματι ὁ θανατος ἐβασίλευσεν δια τε ἕνος
 και, ἀρα ἐν ὧς δι' ἕνος παραπτώματος και παλιν, ὡσπερ δια της παρα-
 κησος τε ἕνος ἀνθρώπου ἁμαρτωλοὶ καταεραθησαν οἱ πολλοὶ. Sic fere
Marckius exercit. Scriptur. XXI. in fin. ad sententiam illam reuincen-
 dendam.

§. XV.

Ἐφ' ᾧ πάντες ἡμαρτον si uertas: *quoniam, siquidem, &c.* omnes peccarunt, quocumque tandem sensu intelligas, non esse consentaneum huic loco, satis uidetur effecisse. Pergimus ad sententiam eorum, qui ἔφ' ᾧ ad Adamum referentes uertunt: *in quo omnes peccarunt.* Non potuit fieri, quin multis displiceret haec interpretatio, quae nimis longe repetit, quo ἔφ' ᾧ illud referatur. Et satis hoc est causae, cur reiiciatur ab iis, qui loquendi consuetudinem maluit sequi, quam ¹⁶⁾ rationes subtiliores, quae linguae usu deserviunt. Neque enim faciunt ad rem, quae a *Iob. Christoph. Pfaffio* in dissertat. de imputat. diuin. laps. Adue afferuntur.

¹⁶⁾ Petrus Musaeus in dissertat. quae κατ' ἐν-θρονον considerat sententiam, in quo omnes peccarunt, haec offert ad hanc obiectionem diluendam: „inter mentionem unius hominis, scilicet Adami, et inter ἔφ' ᾧ tres quidem propositiones intercedunt; sed sicut in prima propositione mentio unius hominis exprimitur, ita in reliquis duabus subintelligitur. Sensus enim earum huc redit: 1. per unum hominem peccatum in mundum intravit; 2. per unum hominem in mundum etiam intravit mors, prout est poena peccati; 3. per unum hominem mors in omnes transit. Iam si respicias ad expressam unius hominis notionem, longe satis abest a particula ἔφ' ᾧ. Sin uero ad subintellectam, proxime praecedat. Non autem requiritur ad grammaticam constructionem, ut proxime expressum sit id, ad quod pronomen relatum se refert; sed sufficit, ex remotiori pronunciaro facile repeti et subintelligi posse. Sed hoc profecto magis est philosophari, et regulas grammaticas suo propterea ingenio excogitare, quam linguae usum sequi. Relatiuum pronomen sibi refertur ad nomen alicuius enunciationis, in ea ipsa enunciatione nomen illud exprimitur, nisi forte sit ea enunciationis indoles, ut plena esse constructio non possit, nisi intellecto aliquo nomine, ut Rom. X. 14. πῶς ἐν ἐπιχλεσένται, εἰς οὐ ἐν ἐπίσεισαν, πῶς δὲ πεισυσσῶσι, εἰ ἐν ἡμεῶν. Ephes. III. 20. ὑπερεπερίσσει, ὡν αἰτέμεθα &c. Nonne autem completa illa constructio in: καὶ ἕως εἰς πάντας αἰθροπας ὁ θνατος διη.θρ &c.?

runtur loca p. 8. neque Rom. V. 11. 14. Gal. III. 19. Eph. II. 1. 4. 1 Cor. XV. 49. quae, ne apparet quidem, cur ad hunc locum afferat, quoniam de relatione *pronominis relativi* quaeritur: neque etiam 2 Theff. II. 9. ubi iam c. 8. praecesserat *ὅν*, proxime post ipsum *substantiuum*, unde facillimum est cognitu *ἑ* c. 9. ad idem *substantiuum* referri, ut Rom. IX. 4. 5. Tum uero, si uel maxime concederem, *ἑ* *φ* *ῶ* posse reduci ad unum illum hominem, cuius fuit ab initio facta mentio; non fit inde statim, commodam et congruam esse huic loco istam sententiam. In Adamo omnes peccarunt. Huic enunciationi siue subesse dicas, reatum Adamitici peccati iure omnibus imponi, siue etiam, moralem deprauationem inde ad omnes peruenisse: inuitis iis, quae sequuntur interpretabere. Res enim eodem redit, quorsum illorum sententia, qui uertunt: *siquidem quoniam* &c. omnes peccarunt, ita quidem, ut intelligant, in Adamo, de quo iam supra disputatum est §. XIII.

§. XVI.

Alias horum uerborum interpretationes uix opus est, ut afferamus: Neque enim ita uidentur esse multi, quibus praeter has, quas adduximus, sese probauerit alia: neque difficile est, quam diximus de his sententiam, ad reliquas etiam transferre, quae nobis quidem innotuerunt. Ne tamen deesse uideamur, quorundam siue curiositati siue dexteritati, adducimus in medium etiam ex his aliquas. Prima sit *Iac. Elsneri* obseruati. sac. Tom. II. p. 26. qui uertit: *propter quem omnes peccarunt*, ut *ἑ* *φ* *ῶ* sit idem, quod *ὁ* *ὄν*, scilicet Adamum ¹⁷⁾. Quae sententia, si rem, non uerba,

C 3

spe-

17) *ἑ* *φ* *ῶ* posse poni pro *ὁ* *ὄν*, cum etiam Scholiasten Graecum sequatur *Elsnerus*, non repugno: hoc tamen displicuit, quod ad firmandam sententiam adducit Rom. X. 19. *παρεξηλωσω υμας ἐν ἐν* *ἑ* *φ* *ῶ* *ῶ* XVI. 19. *χρησθῆναι ἐν το. ἑ* *φ* *ῶ* *ῶ*. His enim in locis quis non uider, *ἐπὶ* praeponi *obiecto*, quoniam hoc introducta usu constructio uerbi requirit. Quae si ualent, poterimus uel ipsum *ἑ* *φ* *ῶ* eodem

species, cum non discrepet ab illa: in quo omnes peccarunt, non est, cur denuo in controuersiam uocetur. *Iob. Frideric. Hombergius*

eodem sensu, allegare. Sic LXX. Ies. LXII. 8. *ei ἐπι πικρῶν ὕδασι ἀλλοτριῶν τοῦ ὕδατος σε, ἐφ' ᾧ ἐμοχθήσας.* *Iosephus ἐφ' ᾧ χαλεπῶν &c. ἐφ' οἷς Ἡρώδης ὑπερβαλλαντικῆς B. Iud. Lib. I. p. 704. Edit. Frob. ἐφ' οἷς ὀργισθεὶς Φαβῶτος ibid. pag. 708. Sic Proverb. XXI. 22. το ὀχυρωμα, ἐφ' ᾧ ἐπεποιθεῖσαν Ies. XXXVII. 10. ὁ Θεὸς σε, ἐφ' ᾧ πεποιθεὶς ἐπ' αὐτῶ. Xenoph. Memor. Socr. II. p. 73. Edit. Ernest. ἐφ' ᾧ ἠσχυνθη. Magis ad rem uidetur *Diog. Laert. Lib. VII. cap. V. p. 832. edit. Longol. ἐφ' ᾧ κρεκῶτος τιμῆναι ὑπο Ἀθηναίων cf. p. 836. ἐφ' ᾧ ἀγασθεντες* (unde apparet, prius esse uertendum: *propter quod*) *οἱ ἀνθρώποι τοῦ μὲν ἐμεροτήσαν.* Sic placet etiam *Xenoph. Memor. II. p. 107. Libenter itaque dederim Elphoro, habere ἐπι loquendi Graecorum consuetudine notionem propter.* Sic recte uertitur *Matth. XXVI. 50. ἐφ' ᾧ παρεῖ.* Quem locum cum *Helychius* ita exponat: *ἐπι ποῦ σκοπῶ παρεῖ*, eadem ratione nostrum locum uertit *Wollius*: in quem finem et scopum omnes peccarunt, in *dissertat. de uerbo* sicutaque nonnullarum particul. N. T. *Gracc. emphasi* (quae differ. adiecta est eius *Ecclēsiæ i baris. et Christianae*) sed qua ratione intelligat, non satis explicat. Eundem in modum exponit etiam *Deuarius de particul. Gracc. ἐφ' ᾧ* cum *infin.* quod uerti solet *ut*, poni existimans pro *ἐπι τῶ* cum *infin.* Celeberr. autem *Bac. hius* minus bene, ut uidetur, in *Xenoph. Agelil IV. r.* eadem ratione, qua *ἐφ' οἷς* *ibid.* cum *Indicar.* quod recte uerterat. — Quid ergo? si nudum *ἐφ' ᾧ*, neglecto nexu, species, poterisne uertere etiam, *propterea quod*, ut potest uerti propter quod. Non satis est dixisse cum *Raphelio* in adnotat. in *N. T. ex Xenoph. et Wollio, ἐφ' ᾧ* causam designare, ideoque etiam uerti posse: propterea quod. Quid uero illi, qui ex *Hebraismo* rem illustrant, ubi *וְעַל* et *וְעַל* hoc sensu usurpatur? Ego uero mirarer, si fuit in usu ex *Hebraismo* apud *Hellenistas* *ἐφ' ᾧ* pro propterea quod, non uerti a *LXX.* ut non dicam *וְעַל* et *וְעַל*, sed multo magis *וְעַל* per *ἐφ' ᾧ* quoniam alias solent uerba de uerbis uertere. E profanis auctoribus adducit *Raphel.* ex *Budaci Commentar. linguae Graecae Synesii* quemdam locum, ubi uertitur *ἐφ' οἷς* propterea quod, ubi tamen mihi*

gius in Parergis S. quantum potest, contendit, ἐφ' ᾧ referendum esse ad θάνατον. Quae uerborum connexio si esset, ut *Petrus Musaeus* loquitur, inepta et absurda, uix dignum iudicarem, cuius afferrem sententiam. Res redit ad uim uocis ἐπι, quam ille uult peti e loquendi formulis: ἀπεθῆαι ἐπι θάνατο, ὡσει ἐπι θάνατο, ideoque uertit: *ad quam* (mortem) *omnes peccauerunt* i. e. peccauerunt, ut mors inde subeunda sit. Quod idem esse ipse dicit, ac si diceres, *in omnes mortem peruenisse, quod omnes peccauerunt*. Quale hoc sit, ex superioribus perspicuum est: quamquam auctor ipse huius sententiæ hoc ipsum, ut est in multis mirum, omnino 18) tollere uideretur. *Cocceio* placuit uertere: *cum quo* i. e. *Adamo peccante*; *H. Grotius* reddidit *per quem*, ita tamen, ut uim uerbi ἡμαρτων prorsus alienam poneret. Ita uel nimis longi sumus in adducendis et examinandis aliorum interpretationibus. Quid ipsis uideatur, iam edifferendum est.

§. XVII.

Per unum hominem, qui peccauerat, factum est, ut omnes morerentur. Hoc quum dixisset Paulus, addit: ἐφ' ᾧ πάντες ἡμαρτων.

mihī quidem dubium uideretur, nisi haberem ex *Iosepho* apertissimum *Archaeol. I. VIII. p. 14* edit. *Prob. ἡμετα μὴν θεο το δεινον αὐτοῦ παρῆσαι ἀποσημανῶν, ἐφ' οἷς ἡδελῶσεν ἐνθῆσται τὰ ἔξω τῆν γυναικα.* Et hanc ob causam concederem, si nexus ita uellet, facilius in eorum sententiam, qui uertunt: propterea quod.

- 18) Non possumus hoc loco omnem eius sententiam exponere. Ad e. 14 hunc in modum loquitur: „*quomodo mors potuerit regnasse ab Adamo usque ad Moysen, in eos, qui non peccauerunt* (refert enim ἐπι τῷ ἡμεταμαρτι τῆς &c. ad ἐβαν. εὐστ.) *Apostolus docere necesse habuit, ut pote in quo tota difficultas sita erat, Nam mortem regnare in homines, notam erat etiam profanis experientia; quomodo autem ex cur ab uno haec poena deriuata sit, ignorare potuerant etiam fideles, ad quos scripsit. Locet igitur id perfecte atque planissime hoc uersu, non autem uers. 12 in uerbo ἐφ' ᾧ, ut mirum sit, si loco tam alieno id quaerere uelimus.*

τοῦ. His uerbis quam inesse existimemus sententiam, enarraturi sumus, ita quidem, ut, quum de reliquis iam constet, ἐφ' ᾧ potissimum spectetur. Duplex fere ratio est harum particularum in libris N. T. si uersionem earum in alias linguas spectes. Aut enim ita uertuntur, ut singulis singulae aliarum linguarum uoculae respondeant. Nimirum cum sit Graece *praepositio* cum *relatiuo pronomine*, ponitur etiam latine *praepositio aliqua* cum *relatiuo pronomine*. Aut propter linguarum diuersam consuetudinem, ubi Graece fuerant *duae uoces*; Latine siue *una* ponitur, et quidem eiusmodi, quam *coniunctionem* dicunt, siue, si plures, sententia tamen eadem est, eiusque origo per ellipsin aliquam docetur. Posterius hoc largiri uolumus, quantumuis dubium uideatur Phil. III. 12. IV. 10. 2 Cor. V. 4. Iam cum ἐπι plures habeat significatus; non uideo, qui factum sit, ut relictis *in*, *per*, *propter*, *ad* (ita ut consequentiam designet), totum illud genus relinquatur. Neque enim relatiuum ᾧ ad praecedentia tantummodo substantiua referre licet, sed etiam siue ad *uerbum* aliquod siue ad integram enunciationem 19) ut Col. I. 29. II. 22. 2 Thess. II. 14.

§. XVIII.

Quae cum ita sint, uidendum est, possitne relatiuum ᾧ ita ad antecedentem enunciationem referri, ut ἐπι cum *dandi casu* notionem designet, quae et alias est frequens, et ad hunc locum ab ipsa omnium inter se connexionione inuitatur. Vis eiusmodi *ditionis* ἐπι non ita nuper se mihi probauit, ex quo sat fuit otii datum ad inuestigandam magis magisque huius rei ueritatem. Sententia haec est, ut ueritatem: *ad quod, praeter quod, insuper*. Esse hanc tri-

19) Sic *Marcius Exercit.* script. p. 623., ἐφ' ᾧ uidemus a multis omnino accipi in genere neutro, quasi hic esset *super* quo aut *super* qua re uel etiam *in quo* aut *in qua* re. Sed, si quaeras, quid hoc sibi uelit? idem, respondent, ac si dicas: *per hoc quod, eo quod, quandoquidem* &c. Quod quibus rationibus grammaticis fiat, nolumus quaerere.

tritissimam Graecorum usu uoculae significationem, facile concesserint, qui non sunt peregrini in Graecorum scriptis, immo, ne repugnabunt quidem, qui nonnisi N. T. libros diligenter uersauerint. Quis enim omnium est, cui ἐπι ταῖσι, ἐπι πασι ταῖσι ignotum sit? Ne cui tamen sumfisse uideamur, quod in quaestione est, non erimus parci in adducendis locis, ubi ἐπι hac eadem ui nobis occurrit. Sic Luc. XVI. 26. Eph. VI. 16. Col. III. 14. Tob. II. 14. δαρον δεδοται μοι ἐπι τῷ μισθῷ. Eodem sensu saepe *Polybius*: ἐπι δε τοις προειρημενοις, ἐπι δε πασι. *Lucian*. T. I. Epist. ad Nigrin. p. 60. edit. Basil. — της τροφης το ἀπεριττον — και της ἐσθητος το μετριον, ἐφ' ἅπασι δε ταῖσι της διανοιας το ἡμισομενον. id. *Prometh*. p. 161. ἐπειτα τας ἀνθρωπος ἀνεπλάτας, πανεργοτατα ζωα — ἐπι πασι δε το τιμιωτατον κτημα των θεων το πυρ κλεψιας. *Xenoph*. Memor. Socr. I. II. §. 25. *Ioseph*. B. I. VII. XXXIX. edit. Froben. τα τας μεν πρωτον ἀνειλεν, ἐπι δε αὐτοις ἀπαντας τας εὐποριας χρηματων διαφεροντας. et singulari numero ἐπι ταῖσι ibid. IV. XI. cum relatiuo ibid. I. XXI. και περι μεν την κληνην οἰτε ὕιεις και το πληθος των συγγενων, ἐφ' οἰς οἱ δορυφοροι και το θρακιον εἶδος, eodem sensu, quo dicitur προς οἰς ibid. II. IV. το τε μεγαθος της βασιλειας, και το πληθος της προσοδα, προς οἰς τον ἀριθμον της Ηρωδα γενεας. it. *Archaeol*. I. II. Sic *Paeon*. in uers. *Eutrop*. Libr. VII. IX. και προσεταθη τοις ὑπ' αὐτοις ἐστιν Ἀιγυπτος τε και Κανταβρια, Θαλματα δε ἐπι ταῖσι.

§. XIX.

Satis, credimus, effectum est, uoculam ἐπι habere saepius apud Graecos hanc uim, quam Latinorum *praeter*, *ad*, si *aditamentum* denotat. Exempla dedimus e scriptoribus non unius aetatis, ut penitus inualuisse hunc usum uocis appareat, nec potuisse non esse Apostolo notissimum. Si quis autem in hoc illoue loco maluerit uertere ἐπι *post*, praeter rationem *uersiones* sequitur. Facile tamen etiam hanc significationem noster hic locus admitterit. Quae cum ita sint, poterimus, si haec tantummodo uerba: ἐφ' ὧ

πάντες ἡμᾶς, spectamus, aequali (dicam) cum aliis interpretibus iare, et, si omnem hunc locum curamus, meliori, uertere: *praeter quod omnes peccarunt*. Sententia haec erit: *praeterquam quod unus Adamus peccando mortem omnibus hominibus contraxit, etiam omnes peccarunt*. Esse hoc consentaneum et antecedentibus et consequentibus, quid? requiri etiam, si conuenienter illis interpretari uelis, satis, ut opinor, in superioribus probatum est, magis etiam apparebit, si quis accuratius, quae proxima his uerbis sunt, uoluerit persequi, quae non licuit adhuc, nisi pinguius allegare.

§. XX.

Ἀρχὴ γὰρ νόμος ἐμάχθη ἢ ἐν κόσμῳ. Sumit hic exordium huius sectionis illa pars, quam parenthesin plurimi, iique melioris notae, interpretes statuunt, nos simillimam parenthesi esse diximus *Ad legem enim usque peccatum erat in mundo*. Sic uertimus, eiusque uersionis sensum plane sequimur. Neque etiam quidquam esse incommodi in hac sententia, quam uerba ipsa proclamant, perspici ex his potest. Cum dixisset Paulus, praeterquam quod unus Adam peccauerit, perque id peccatum et sibi et posteris omnibus pepererit mortem, etiam omnes peccasse: hoc ipsum profecto, hoc quidem in loco, illustratione aliqua indigebat. Quam nisi addidisset Paulus, poterat existimare quisquam, per id ipsum, quod adiceret, praeter quod omnes peccarunt, similitudinem illam Christum inter et Adamum tolli. ²⁰⁾ Quid enim

²⁰⁾ Nescio, an idem uelit *Clericus*. En eius uerba: „haec uerba: „ἀρχὴ γὰρ &c. ad u. 17. finem sunt ueluti digressio. in qua Paulus „re, quae potissimum agitur, omissa, id est, hoc in loco, com- „paratione Adami et Christi, ostendit, qui mors in omnes homi- „nes transierit, ante legem Mosaicam, quamuis in legem diser- „tam non peccarint instar Adami. „ Nec uideo, qui sibi ipse conster, quum, si explicationem eius c. 12. spectes, in anteceden-

enim? haec peccata, quae ipse quisque commisit, non illa etiam morte plectenda fuerunt? Quid ergo sibi uult, per unum hominem ad omnes mortem peruenisse? Accedit, quod lex Mosaiica multis in locis supplicium mortis proponit, eumque exsecratur, qui non sit omnia seruaturus. Mors itaque omnium non ex uno, sed inde est, quod omnes peccarunt. His ut contra eatur, neque tamen quidquam remittatur de sententia, confirmat Apostolus hoc ipsum primum, ita, ut, quum post legem omnes peccasse nemo non concedat, ²¹⁾ ab hoc peccato Adami ad legem usque peccatum in mundo fuisse dicat i. e. per omne hoc tempus fuisse. *Ἀμαρτία* autem omnino hoc loco actiones malas designat, quoniam per *γὰρ* ad *ἡμαρτον* reducendum est, et in sequentibus hoc idem eiusmodi uerbis repetitur, quae nonnisi actiones malas designare possunt c. 14. 16. coll. 1. Ioh. II. 2. Peccatum erat in mundo i. e. inter homines, perpetrabatur ab hominibus ad legem usque Mosaiicam, de qua ualere *νομον*, non est probatione opus ²²⁾.

D 2

§. XXI.

dentibus nullam posuerit comparisonem Christi et Adami. Reiecta enim anantapodosi, ad *ὡσπερ* illud reulerat *καὶ ἕτως* pro *ὅτω καὶ*, nisi forte in *διὰ τὸ* comparisonem hanc propter antecedentia latere uelit.

- ²¹⁾ Sic malim, quam *Wellerus*, *Schomerus*, alii, quorum adducitur in *Buddei* *Hæmartigenia* §. XIV. obseruatio, „ particulam hoc loco „ non esse exclusiuam, sed continuatiuam, et antecedens ita ponere, ut consequens tamen non excludat. Neque enim, pergit „ auctor, haec Apostoli mens est, peccatum ante legem quidem, „ non uero post legem a Mose publicatam, in mundo fuisse, sed „ et ante et post legem peccatum in hominibus uires suas exse- „ ruisse, particula hac designare uoluit. „
- ²²⁾ *Origenes* intelligit haec uerba: usque ad finem legis, hoc est, usque ad Christum. Alii, apud *Sadoletum*, ad pueros referunt, quibus, antequam lex rationis adueniat, peccata uirio non attribuantur.

§. XXI.

ἀμαρτία δε ἐκ ἐλλογεται²³⁾ μη ὄντος νομο. Habent sane haec uerba non contemnendam difficultatem, uel si quis optimam interpretandi rationem in omni hoc loco sequitur, maiorem tamen sine dubio, si in antecedentibus minus bene fueris uersatus. Rationem enim, cur mors ad omnes transit, qui hanc esse statuunt, quoniam omnes peccarunt, siue habitum indicari siue actiones malas per ἡμαρτὸν et ἀμαρτίαν h. l. existimant, νομος hoc generalius accipere coguntur, quam nexus patitur, ut efficiant e c. 14. quod uideatur huic sententiae. Sed hoc quidem rectene, an contra, post uidebimus. Illud autem quum idoneis argumentis reuicisse uideamur, firmissimeque stabilisse, nonnisi per unius peccatum esse factum, ut omnes morerentur, ἡμαρτον c. 12. et proxime antecedens ἀμαρτία peccata actualia denotare, nec ullo modo in praecedentibus a Paulo allatam esse causam communis omnium mortis, quae non ab *uno illo* perita sit: licebit eadem uia pergere, et, quae iam sunt explicanda, ita explicare, ut antecedentia siue patiuntur, siue postulant.

§. XXII.

Bis leguntur in sectiuncula 13. ἀμαρτία et νομος. Et ἀμαρτίαν quidem dici hoc loco generatim actuale peccatum, satis probatum uidetur. Νομος quo sensu ab initio sectiunculae dicatur, constat. Eidem autem uoci quae subsit in μη ὄντος νομο sententia, doceri debet accuratius. Tria fere possis subiicere hoc quidem loco ditioni

23) Adducit *Millius*, qui legunt ἐλλογεται, quod *Grotius* probauerat, augmentique neglectiōnem excusauerat. *Codex Alex.* hic habet ἐλλογαιο et Phil. 18. cum aliis ἐλλογα pro ἐλλογαι, ut suspicarerem, thema illi fuisse ἐλλογαιο. Non curat ista *Bengelius*. Legerimne in ullo codice, an ex negligentia scripserit *Turretinus* in Comment. ἐλλογισθη, non dixerim. Constatum uidetur ex duplici uerbo, errorque ex IV. IC. 22. manasse.

etioni νομος, si primum adspicias, (ita fere, ut prima significatio sit species secundae, secunda tertiae) aut legem Mosaicam, cuius iam facta est mentio, aut generatim legem eiusmodi Dei, quae differat uel quoad cognoscendi modum, uel quoad materiam etiam ab illa, quae inscripta animis hominum est, qualis est, et Adami-rica illa, et Mosaiica, aut denique generalius legem diuinam late dictam, cui tamquam species subest illa etiam, quam naturalem dicimus. Ex his quid huc pertineat, apparebit, cum, quid ἐκ ἐλλογεται sibi uelit, aperuerimus.

§. XXIII.

Ἐλλογεω uim habet in loquendi consuetudine eiusmodi, quam etymologia etiam poterat docere. Vertimus *imputo*, uideturque eo fere sensu adhiberi, quo latini dicunt *expensum* alicui *ferre*, ut Philem. 18. 19. Iam cum saepe alias in sacris libris peccata debitis comparentur, non erat, quod dubitaret Paulus, hoc loco uocem adhibere, quae ab hac similitudine desumpta est. Peccata igitur si dicuntur ἐλλογισθαι, hoc dicitur, *poena dignam iudicari eum, a quo admissa sunt*. Quid ergo sibi uolunt haec uerba: ἀμαρτία ἐκ ἐλλογεται, nisi hoc, *non ita reputari, ut illi, qui peccauit, subeunda poena sit?* Sic Psal. XXXII. 2. לֹא יִחַשֵׁב יְהוָה לוֹ עֵוֹן LXX. ὃ ἐ μὴ λογισθῆται κρείσσιν ἀμαρτιῶν Rom. IV. 8. *At enim fieri non potest, salua diuina iustitia, ut, quod quis admisit peccatum, impune ferat, ubi non est facta expiatio*. Verissimum hoc est, nec ullo modo hic locus repugnat cf. u. 16. Neque enim generatim de imputatione Paulus loquitur, sed, quod nexus, siue antecedentium, siue consequentium, cum his uerbis docet, de hac imputatione, qua quis mortis, propter sua ipsius peccata, damnatur. Sunt enim plura peccatorum genera, quae singula si quis morte luenda dicat, praeter rationem dicat. 24) Quid? quod etiam

D 3

N.

24) Ne cui offensionem sit eiusmodi sententia, quae Pauli his uerbis nititur, licebit uberius explicare, de his rebus quid nobis uideatur.

N. T. temporibus ponuntur a Iohanne 1 Ioh. V. 16. 17. alia προς θανάτου, alia μη προς θάνατον.

§. XXIV.

Neque etiam existimari potest, Paulum hic ex concessis disputare, si firmo talo nituntur, quae supra differuimus, de uno Adamitico peccato, communis omnium mortis causa. Qui enim ita statuunt, hanc enunciationem: ἀμαρτία δε εν ελλογεται &c. arbitrantur ueluti concessam ab omnibus poni, ut, adducta experientia de morte tyrannidem in omnibus exercente, efficiatur inde, legem etiam, ante Mosaicam legem fuisse, qua sit factum, ut imputarentur peccata ad mortem. Quod nimirum nisi sumatur, non potuisse mortem etiam in eos dominari, qui ante legem Mosaicam fuerint. Dum dicunt ista, quis crederet, curari ab illis Adami hanc

tur. Unus homo mortem omnibus consciuit. Qua ratione consciuerit, docuit ipse Paulus in antecedentibus. Per unum hominem, inquit, peccatum uenit in mundum et per peccatum mors. Intelligendum esse originale peccatum, probauimus. Quid ergo? actualia non promerentur mortem? Res huc uidetur redire, ut actualium peccatorum distinctione aliqua opus sit. Et est profecto magnum aliquod constituendum discrimen, si rem ipsam accuratius spectes. Alia enim tamquam necessario e prauitate illa insita proficiscuntur, alia libera hominum uoluntate sunt, cauere quidem certe possent, quantumuis premente cupidine mala. Haec quanta poena luenda siue fuissent, siue iis, qui fidem Euangelio non adhibent, nunc etiam sint, Dei est iudicare. Illa autem cum ipsa illa prauitate, unde necessitate quadam oriuntur, unum quoddam efficiunt, cuius ὄψωνια morte ipsa continentur. Rom. VI. 23. Possumus liberari diuina gratia, quae in Christo est, ab hac seruitute peccati. Quod si noluerimus, habebimus τα ὄψωνια της ἀμαρτίας i. e. θανάτου. Sic etiam regeniti, in quibus permultum superest deprauationis, nisi iis quae datae diuinitus sunt, uiribus se liberos seruent ab hac seruitute, recidunt eodem, unde diuina eos gratia extraxerat. Iac. I. 14. 15.

hanc cum Christo collationem, nisi hoc ipsi profiterentur? Magis etiam illi taxandi uidentur, qui *ἐλλογεῖται* ita interpretantur, quasi scriptum uiderent *ἀμαρτία δε ἐλογίζεται ἀμαρτία*. Primum enim uim uocis eiusmodi precario sumunt, quae potius eam ipsam ob causam adhibita hic a Paulo uideretur, ne ambiguitatem haec uerba haberent. In praecedentibus enim, ubi hoc uerendum non erat, *λογίζεσθαι* eodem fere sensu ponit, et saepius quidem, nec apparet, cur rarissimo uerbo hoc loco utatur, nec multo magis usitatissimo, nisi omnem de sensu dubitationem praecidere uoluisset. Tum uero haec eadem explicatio, non magis, quam superior, Paulinis sensibus consentit, qui in omni hoc loco satis aperti sunt. ²⁵⁾ Volunt enim eius ope eandem illam stabilire disputationem *ex concessis*, quamquam per se uerissimis. Intelligantur itaque haec uerba hunc in modum: *peccatum autem non imputatur*, ita, ut morte luendum sit.

§. XXV.

Quae cum ita sint, perspicuum est, *νομον* hoc loco non ita late dici, ut illa etiam lex, quam naturae dicimus, ei tamquam species subiecta sit. Serio enim loquitur Paulus, *non imputarē peccatum, si non sit lex*. Atqui, non est etiam ita imputatum, ut mors inde sequeretur, quae potius uni Adamo tribuitur. Ergo lex eiusmodi, qua fit, ut imputetur peccatum ad mortem, non fuit. Naturalis autem lex omni tempore affuit. Itaque non potest fieri, ut ullam hic faciat Paulus legis naturalis mentionem.

²⁵⁾ Sic illorum sententia, qui, nescio, an auctore *Hyperio*, occupationem esse in his uerbis, existimant, ex iis, quae dicta sunt, diiudicari poterit. Nititur enim antecedentium uerborum interpretatione minus accurata. Repugnant etiam, ut uidebimus, consequentia, quo minus admitti possit. Vocis autem significationem, dicerem, ex ingenio fingi ab iis, qui uertunt: *peccatum autem parui habetur* sc. ab hominibus, nisi per antecedentium explanationem excularentur.

nem. 26) Quid igitur? solamne Mosaicam dicit Paulus, quae in proxima enunciatione commemorata erat? Hoc quidem per id abunde refellitur, quoniam, cum de *imputatione ad mortem* agatur, ne Adamus quidem potuisset mortis agi reus, qui a lege Mosaica longissime abesset. Iam, quid relinquatur, quod *uoci* subiici hic possit, nisi generatim intelligas legem diuinam, quam, praeter illam, quae animis inscripta hominum est, superaddidit, eique poenam certam quamdam et definitam adiunxit. Huius generis quum duae potissimum sint, Adamicam illa et Mosaica, eademque mortis et execrationis sancitae poena, fieri facillime poterat, ut uis prorsus eadem utrique tribueretur. 27). Et fuisset eadem profecto, si nacta esset Mosaica lex homines eiusmodi, qui, nondum deprauati, ualuisent seruare eius omnia praecepta. Hoc enim si posas, poterat suum cuique ita imputari peccatum, ut ipse mortis suae causa diceretur. Idem illud uideretur, uelle Paulus his uerbis: ἀμαρτία δε ἐκ ἐλλογείται μη ὄντος νομοῦ, quae senten-

26) Quum notio *legis* apud Iudaeos a Mosaica potissimum lege desumpta esset, et subtilitate quadam opus sit, si quis hoc *uocabulum*, seruata generali notione, ad illam cognitionem recti prauique, quae insita animis hominum est, transferre uoluerit: non loquuntur scriptores diuini ita fere, ut Philosophi nostri atque Theologi, qui legem diuinam duplicem esse dicunt, *naturalem et positivam*. Nihil tamen minus, si de his rebus loquendum est, summo opere cauent, ne sint obscuri lectoribus uid. Rom. II. 11. seq. ubi quasi legem Mosaicam proprie legem nominat Paulus, naturalem, ut nos loquimur, improprie, quoniam non ferebat consuetudo loquendi, ita nude et simpliciter praeter Mosaicam, aliam legem diuinam commemorare, quamquam res ipsa, si accuratius eam spectes, difficultatem non habeat.

27) Non est hoc loco nobis sermo de his illius praeceptis Mosaicae legis, quae si quis in grasset, morte addiciendus erat, qua de re Paulus loquitur Ebr. X. 28. sed de uniuersa Mosaica lege, cui seruandae nemo par erat. Mors manebat omnes, etiam, si nemo aduersus ista praecepta quidquam admisisset.

rentia si affirmatiue enunciatur, ita sonat: *peccatum imputatur* (ad mortem) *si fit lex* ²⁸⁾ qualis nimirum fuit Adamitica et Mosaica. Sed plane neminem post Adami illud peccatum potuisse cuitare mortem, ideoque legem Mosaicam non tam afferre peccatoribus mortem, quam declarare, esse omnes morte plectendos, docet in iis, quae sequuntur.

§. XXVI.

ΑΛΛ' ΕΒΑΣΙΛΕΥΣΕΝ Ο ΘΑΝΑΤΟΣ ΑΠΟ ΑΔΑΜ ΜΕΧΡΙ ΜΩΣΕΩΣ ΚΑΙ ΕΠΙ ΤΗΣ ²⁹⁾ ΜΗ ΑΜΑΡΤΗΤΑΝΤΑΣ ΕΠΙ ΤΩ ΟΜΟΙΩΜΑΤΙ ΤΗΣ ΠΑΡΑΒΑΣΕΩΣ ΑΔΑΜ, ΟΣ ΕΣΤΙ ΤΥΧΟΣ ΤΟΥ ΜΕΛΛΟΝΤΟΣ. Haec uerba non folent eodem modo inter fe iungi ab interpretibus. Alii diuellunt cogitatione, quae textus iuncta facit, hunc in modum: *εβασιλευσεν ο θανατος επι τω ομοιωματι της παραβασεως Αδαμ επι της μη αμαρτηταντας*. Alii uerborum ipsum ordinem sequuntur. Nostra interpretatio superiorum commatum salua est, utramuis uerborum sequaris constructionem. Illam enim qui tenent sententiam, ita interpretantur, regnasse mortem ab Adamo ad Mosen usque, non propter illorum hominum, qui eo tempore uixerunt, transgressiones. Spectari enim, hac quidem in caussa, hos homines, ut eos, qui non peccauerint (*της μη αμαρτηταντας*) quoniam sine lege peccauerint c. 13. Tyrannidem autem exercuisse mortem *επι τω ομοιωματι*

28) Non habent rationem sequentium — — ος εστι τυτος τε μελλοντος, qui ex his uerbis: *αμαρτια δε ην ελλογειται* et iis, quae proxime sequuntur, elicere uolunt, fuisse, etiam ante legem Mosaicam, legem, qua factum sit, ut suae cuique transgressiones mortiferae essent. Hoc enim si uellet Paulus, sibi ipse minus conueniret, dum addit: *ος εστι τυτος τε μελλοντος*.

29) Μη legendum esse, post Crisim Millianam et Bengelianam, non suspicor, fore quemquam, qui dubitet. Confirmat hoc idem Wettstenii diligentia.

κατι της παραβασεως Αδαμ. Hoc siue cum *Hombergio* pro expressa effigie atque figura transgressionis Adami sumas, siue reatum tantum his uerbis indicari, intelligas, quo fiat, ut illi etiam pro iis habeantur, qui ad similitudinem Adamicæ transgressionis peccassent: nihil dixeris contra nostram explicationem antecedentium.

§. XXVII.

Sed non immerito displicet hæc sententia, primum hæc ob causam, quoniam non permittunt ea, quæ ante sunt dicta, ut dicantur, qui ante Mosen uixerunt, non peccasse, nisi admodum *ὄξυμωρον* tibi fingere Paulum uelis. Inde enim, quod peccata illis non imputantur (uel, si nullo prorsus modo imputarentur) non fit, ut dici possint *non peccasse*. Hoc ne de iis quidem, quibus remissa per Christum peccata dicuntur, dictum usquam est, nisi memoria me admodum fefellerit. Deinde multo melius quadrat *ἐπι τῷ ὁμοιωματι της παραβασεως Αδαμ ad μη ἀμαρτησαντας*, quam ad *ἐβασιλευσεν ὁ θανατος*. *Παραβασις* enim designat actuale peccatum, *ὁμοιωμα παραβασεως* possit fortasse tribui illi, qui non admisisset peccatum *actuale*, *ὁμοιωμα* autem της παραβασεως Αδαμ non poterit commode dici, nisi, cui tribuitur, ipse peccauerit, ita quidem, ut eius transgressio ad similitudinem Adamicæ transgressionis accedat. Iam transfer hæc uerba ad *ἐβασιλευσεν ὁ θανατος*, et uide, an possit inde ³⁰⁾ erui sententia, quæ consentanea sit

30) Applicuit hæc uerba inter se hunc in modum *Chrysofomus*, sed non distincte satis exponit omnia, quamquam accommodate ad omnem hunc locum. En omnem eius sententiam: *ἐι (γὰρ) ἐξ ἀμαρτιας ὁ θανατος την εἰσαν ἔσχε, νομος δε ἐν ὄντος ἡ ἀμαρτια ἐν ἐκλογεται, πως ὁ θανατος ἐκρῆται; ὁθεν δηλον, ὅτι ἐν αὐτῇ ἡ ἀμαρτια ἡ της τε νομος παραβασεως ἀλλ' ἐκινῃ ἡ της τε Αδαμ παραβασεως, αὐτη ἦν ἡ παντα κυμανομενη; και τις ἡ τατα ἀποδειξις, το και προ τε νομος παντας ἀποθνησκειν; Εβασιλευσε γὰρ ὁ θανατος, φησιν, ἀπο*

Αδαμ

fit omni huic loco. Facilis contra suaque se commendans perspicuitate sensus est, si construas: *ἐπι τας μη ἀμαρτησαντας ἐπι τῷ ὁμοιωματι τῆς παραβύσεως Ἀδάμ*. Oratio est de illis, qui ab Adamo ad Mosen usque fuerunt. Etiam ab his peccatum esse, erat ante dictum. Verborum igitur hunc ordinem si serues, non negatur hic illud, quod supra ponitur, sed accuratius dicitur. Peccatum nimirum ab illis esse, sed non ita peccatum, ut transgressiones eorum similes essent Adamiticae transgressioni. Quid desideretur ad hanc similitudinem, in promptu est. Lex nimirum eiusmodi, qualis Adamo lata erat, per id tempus nulla fuit. Mosaica lex, si per se spectetur, erat eiusmodi, ut ii, quibus data erat, dici possent peccasse ad similitudinem transgressionis Adams. Quod nisi ponas, ratio prorsus nulla apparet, cur 31) ab Adamo ad Mosen illico ueniat Paulus. Sed enim uideri poterant etiam ii, quibus Henoch Iud. u. 14. Noach, Abraham &c. uoluntatem Dei declararunt, peccasse ad similitudinem Adamiticae transgressionis: addit igitur *καὶ ἐπι τας μη* &c. ab Adamo ad Mosen usque, *etiam* in illos &c. quamquam *καὶ* illud, nobis quidem, magis uideatur esse conclusiuum designans: *igitur* Marc. IV. 13. IX. 5, ut omnes ante Mosen praeter Adamum neget peccasse *hunc in modum*.

§ XXVIII.

Sequitur ex his illud, quod supra posuimus, mortem unī Adamo tribuendam, legemque Mosaicam, quantumuis mortis et execrationis haberet additas minas, *mortem ipsam* transgressoribus non attulisse (ita, ut, nisi rogata esset haec lex, moriendum

Ἀδάμ μέχρι Μώσεως καὶ ἐπι τας μη ἀμαρτησαντας. Πως ἐβασίλευσεν; ἐν τῷ ὁμοιωματι τῆς παραβύσεως Ἀδάμ, ὅς ἐστι τυπος τῶν μελλόντων. Αἱ τὰ τοῦ καὶ τυπος ἐστὶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁ Ἀδάμ &c. Homil. X. in ep. ad Rom.

31) Eam nimirum ob causam non placet *Grotii* aliorumque sententia, qui non nisi insigniter pios, Abelem, Noachum &c. hic intelligi uolunt.

dum non fuerit) sed siue declarasse, Gal. III. 10. siue uolenter accelerasse. Esse hanc ipsius Pauli sententiam, apertum est ex iis, quae sequuntur: *ὅς ἐστι τυπὸς τοῦ μελλόντος.* Os utrum referas ad Adamum, an omnino ad antecedentia, si rem spectes, nihil magnopere intererit. Illud factum ab interpretibus est, siue ita, ut in *μελλόντος* intelligerent *Ἀδὰμ*, quemadmodum dicitur *ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ* 1 Cor. XV. 45. siue, ut Christum *absolute* dici existimarent ³²⁾ *τον μελλόντα* sc. *ἔρχεσθαι*. Illud hoc incommodi habere uideretur, quod eadem notio in *praedicato* bis diceretur. *Μελλών* enim *Ἀδὰμ* per se iam designat eum Adamum, cuius fuit in primo illo homine aliqua similitudo: alias non posset adici cogitatione *Ἀδὰμ*. Iam quis ita loquitur: qui repraesentauit similitudinem aliquam illius, cuius repraesentauit aliquam similitudinem. Melius itaque illi, qui *τον μελλόντα* *absolute* intelligunt *Christum*. Sed poteris etiam, quum in antecedentibus et consequentibus de re ipsa potius, quam de *personis* sit sermo, *ὅς* commode referre ad rem omnem, de qua ante dictum erat, ita, ut *genus* assimilatum sit sequenti *τυπὸς*, ut fit alias etiam in stilo Paulino cf. 1 Cor. III. 17. Gal. III. 16. et hunc in modum uertere: *quod est repraesentatio futuri*, siue illius, quod futurum erat. Quae repraesentatio quatenus hic habeat locum, in sequentibus exponitur. Haec ipsa autem adiectio uerborum non poterat fieri, nisi etiam in iis, quae proxime praecedunt hoc effectum, non nisi per unum hominem omnibus esse partam moriendi necessitatem.

32) Sic *Oesummen*. in Comm. *ὅς ἐστι τυπὸς τοῦ μελλόντος. ὅς, Φησιν, Ἀδὰμ τυπὸς ἦν τοῦ μελλόντος ἔρχεσθαι, ταῦτοι τε Χριστῷ.*

Errata excusabunt lectores.

- Pag. 2. lin. postrem. legendum: praecideretur
 p. 9. not. 6. lin. 7. legend. codicem
 p. 12. lin. 5. legend. ἡ ἀμαρτία, τῆς ἀμαρτίας
 p. 23. lin. 5. legend. ἀγεσθαι ibid. lin. 13. ἡμαρτον
 p. 27. lin. 12. legend. ζῶα ibid. lin. 15. ταῦτες

PRAE-




PRAESTANTISSIMO
HONORVM PHILOSOPHICORVM CANDIDATO

P R A E S E S

Plura in TE, PRAENOBILISSIME CANDIDATE, coniuncta deprehendi, quae mihi et insignem uoluptatem, et egregiam de TE spem excitant. Praeterquam enim quod, Deo providente, felix ingenium TIBI obtigerit, rite praeparatus, quod hodie a multis negligi solet, ante hos fere quatuor annos in Lipsiensium Academiam concessisti, non ut otio diffueres, aut studia perfunctorie tractares; sed, ut sine litterarum cultoribus praefixo, feliciter potireris. Omnem igitur adhibuisti diligentiam, ut ex ore Virorum, quibus *Lipſia* abundat, celeberrimorum ea haurires, quae sanctioris disciplinae studiosum et faciunt et ornant. Biennio sic cum laude exacto, noster factus, nullam occasionem praerelabi passus es, quae maiora indices capere posses eruditionis incrementa: quae TVA agendi


F

ratio



ratio eo magis mihi placuit, quo magis cum studiis, quae gnauiter coluisti, bonam mentem, moresque, ad omnem modestiam compositos, coniunxisti. Supererat, ut aliorum commodis interesse inciperes: Eum itaque in finem subiisti nuper examen Philosophicum, quo eximios profectus, per complures annos comparatos, ita demonstrasti, ut nihil dubitauerint Ampl. ord. Philos. professores, honores in Philosophia supremos tibi decernere. Iam prodis in publicum, specimen inaugurale solemnium Virorum Excellentissimorum et Doctissimorum disquisitioni submissurus, cuius argumentum et solus elegisti, et solus pertractasti; quod eam ob causam silentio praeterire nolui, quia nonnulla sunt in tuae scriptione, a quibus me dissentire profiteor. Caeterum MAGISTRI dignitatem, qua mox a me indueris, ex animo tibi gratulor, Deum Optim. Maxim. precatus, velit laboribus tuis omnibus, imprimis vero iis, quos in gratiam Commilitonum tuorum susceperis, quam clementissime aduere, ut bene de litteris, earumque cultoribus, mereri possis. Sic uale, et me amare perge. Dabam d. VI. Octobr. MDCCLXVII.

PRAE-



 PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO,
 DISPUTATIONIS AVCTORI,
 AMICO SVO AESTVMATISSIMO,

S. P. D.

IO. IAC. RAMMELTVS

ISLEBIA MANNSFELD. S. S. TH. CVLT. OPPONENS.

Sacrarum litterarum interpretationem difficillimam Theologi esse pro-
 uinciam, TE, MI MILLERE, facile habeo consentientem. Eam si quis
 rite administrare velit, ingenium adferre debere et multa historiae lin-
 guarumque noticia bene cultum, et longo legitime cogitandi usu ex-
 ercitum, non nisi in ea plane peregrinus ac hospes inficiabitur. Alte-
 rum enim ad genium linguae, textus, ut vocant, circumstantias, om-
 nino ipsum sensum eo feliciter eruendum plurimum facit; alterum ve-
 ro si accedit, priorem facultatem mirifice adiuuat, siquidem ingenium
 acuit ad plures veritates in ambitu suo uno quasi obreuitu, perspicendas.
 Haec enim virtute si quis destituitur, ad multas explicationes per ambi-
 guum saepe loquendi usum, possibiles quidem, ipsi vero nexui auctoris
 contrarias, delabatur necesse est. Ex quo autem, AMICE AESTVMATIS-
 SIME, intimior quaedam inter nos intercessit coniunctio, maximo sem-
 per conatu ad hoc totus incubuisti, ut earum artium, quae ab huma-
 nitate nomen ducunt, earumque litterarum omnium, quae interpre-
 tem diuinorum librorum maxime formant, indefesso studio animum ex-
 coleres; quin et iis scientiis limares iudicium, quarum sollicita per-
 serutatione perspicaciores reddimur ad verum a falso discernendum.
 Quod quidem si ulla in re necessarium est, in interpretatione maxime.
 Quantum vero in utroque profeceris, ipsa dissertatio TVA solida atque
 doctissima satis testatur, ut et omnis mea laus, quam virtutibus TVIS
 debeo, manca ac plane superuacanea esse videatur. Gratulor TVI hunc
 diem solennem ac festum; faxit Summum Numen, ut TVI sit splendi-
 dissimus, omnesque TVOS conatus fortunatos esse velit, ut in Ecclesiae
 et orbis litterati magnum incrementum euadant. Restat iam AMICE
 omnium OPTIME, ut hostem agam; sed hostem simulabo, amicus sem-
 per ero. TVAM autem erga me benevolentiam ut nulla unquam inter-
 rumpat vicissitudo, nullum deleat tempus, TE oro et obtestor. Vale.
VIRO



VIRO PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
HONORVM PHILOSOPHORVM CANDIDATO
DIGNISSIMO.

AMICO SVO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

IOAN. CASPAR WERNERVS GERHARDVS

QVEDLINVRGENSIS, S. L. CVLT. OPPONENS.

Tandem aliquando, VIR PRAENOBILISIME, contigit mihi, vt animum tibi meum deditissimum significare publice possim, cum pignus hoc mihi nouum beneuolentiae TVAE atque amoris dedisti, vt disputationi TVAE inaugurali opponens interessem. Felicem faustumque praedico illum diem, quo mihi tecum colloquendi tibi que mentem meam gratissimam praestandi, oblata est occasio exoptatissima. Nolo equidem laudum TVARVM praeconeum agere: ingratus tamen omino viderer, si hoc praefertim tempore otiosus essem speculator, nec egregijs mentis vitaeque TVAE virtutibus eximiaque eruditioni optime precarer. Accipe, quae ex ingenua mente amici, quem in disputatione TVA inaugurali doctissima, testem magis et comitem, quam oppugnatorem habebis, proficiscuntur vota verissima, vt Deus O. M. laboribus TVIS gratissimis adesse felicissimumque successum indulgere velit, et in nominis sui gloriam et in Academiae nostrae emolumentum, et in TVI, familiaeque TVAE honoratissimae, honorem euenire iubeat. Quod in me est, gratulor tibi ex animo hunc diem, hos summos in Philosophia honores, mihi que ipsi gratulor, quod amicam mihi mentem TVAM seruasti. Persuasum tibi habe, me, vt fui, amicum tibi semper futurum omnium candidissimum, obseruantissimum. Id quod etiam atque etiam rogo. Vale, mihi que saue. Scripsi, Halae die XII. Octobris MDCCLXVII.



78 L 1708

ULB Halle

3


002 390 507



Sb.

Hi. 100.







DISSERTATIO INAUGVRALIS HERMENEVTICA

IN

Rom. V, 12. 13. 14.

QVAM

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI AVCTORITATE

PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO, DOCTISSIMO

IOHANNE FRIDERICO STIEBRITZ

PHILOSOPHIAE, OECONOMIAE, POLITICAE ET CAMERALIVM

PROF. PVBL. ORDINARIO, ALVMNOR. REG. EPHORO

ET

ACADEMIAE SCIENTIARVM MOGVNTINAE SODALI

FAVTORE AC PRAECEPTORE

OMNI VENERATIONE COLENDO

AD

SVM MOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSEQVENDOS

AD DIEM XII. OCTOBRIS MDCCLXVII.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOHANNES PETRVS ANDREAS MILLERVS

HETTSTADIO - MANNSFELDIGVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

LITTERIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII.